

1600

Nicolaus
Molinus in
Hetrur-
iam orator

in Italiam mittit. Nuptiis ingenti splendore, ac regia magnificientia Florentiae celebratis, Nicolaus Molinus, Reipublicæ legatus, interfuit; ejusque nomine Reginæ gratulatur, Ferdinandique Magni Ducis filio sacri fontis unda abluedo adstitit. Aldobrandinus Cardinalis, qui tum Florentia transibat, Mariam atque Henricum, Magno Regis scutifero procuratore, statis de more Ecclesiæ cæremoniis matrimonio junxit. Connubium, per literas Villierumque oratorem Principe invitato, Rex Patribus significavit. Senatus consulto gratiæ actæ; bini oratores lecti Leonardus Donatus, Joannes Delphinus, Marcii Procuratores. Atque ut majus nullum in potentissimum invictumque Regem ab Republica benevolentia & observantia pignus exquiri posset, majoribus comitiis in patriciorum numerum præclaro ac peregregio ad posteritatis memoriam decreto est adleatus. Nam cum per intimos ac familiares suos a Francisco Contareno, ordinario, Franciscoque Vendrameno, extra ordinem ob pacem iætam legato, qui tunc Lutetiæ aderat, petiisset, an Antonius pater, Cantabrum Rex, inter Venetos patricios censeretur, ejusque rei in publicis monumentis notæ extarent, ac, ni essent, nobilitatis privilegium apud se libenter habiturum significasset; perquisitis advocatorii magistratus tabulis, cum notæ non invenirentur, a Consiliariis, ac Quadrangintavirum magistris majoribus comitiis latum, ut Henricus quartus, Galliæ ac Navarræ Rex, cum filiis posterisque suis patriciæ nobilitati adscriberetur. Qua in re, quod nunquam alias accidisse memorabatur, contigit, ut ex mille quadringentis novem ac triginta suffragiis, duo tantum lex adversa tulerit, quæ casu in viridem urnam cecidisse credendum est. Anni exitus insignis maris insueto æstu fuit, quod ingenti adeo impetu ac furore intumuit, ut multis in locis, litoribus disjectis ac divulsis, mare in æstuaria influxerit, assuetosque terminos transfluerit, gravioris jacturæ periculo, ni tempestas ventique vis cito concidisset. Ut quam celerrime litora sarcirentur, Senatus decretivit: missi Senatores duodecim, qui loca inspicerent, quave ratione instaurari, firmioraque reddi possent, decernerent. Perficiendi munus aquarum magistratui mandatum.

Leonar-
dus Dona-
tus &
Jonnes
Delphinus,
in Galliam
oratores.

Henricus
Rex inter
Venetos pa-
tricos, a Ve-
netis recen-
sus.

Finis Libri Decimiquinti.

S 2

EPI-